

valebit axioma in doctrinâ hâc syllogisticâ, ubi commune quippiam latissimè sumitur, adeò ut nec essentialis sit majoris & minoris in illo cõvenientia. e.g. Omnis mathematicus est doctus. Omnis Jctus est doctus. Licet mathematicus & Jctus conveniant in docto, tamen non conveniunt inter se. Falsum est enim: omnem Jctum esse mathematicum. Accidit tamen interdum, ut in secundâ figurâ affirmantes valeant: ut, Omnis homo est rationalis. Omne risibile est rationale. E. omne risibile est homo. Sed consequentia valet: 1. nõ propter formam, sed propter materiam. Hic enim sunt termini reciproci, qui se mutuò consequuntur, sine syllogismo. 2. non vi secundæ, sed primæ figuræ, quia major est reciproca. Semper enim in secundâ figurâ, si major constat ex terminis reciprocis, etiam affirmativa sequitur conclusio, vi primæ figuræ, in quam reducitur syllogismus, solâ majoris conversione, nimirum: Omnis homo est risibilis. Omnis doctus est risibilis. Ergò omnis doctus est homo. Convertite hinc majorem simpliciter, quia constat terminis reciprocis, & syllogismus concludet in primâ figurâ. Et hoc evenit ex dicto de Omni, quod in secundâ quoque figurâ continetur, sed per levem transpositionem actuatur, & actu apparet in primâ. Notetur canon: *Syllogismus ex puris affirmantibus in figurâ secundâ valet, cum major est convertibilis.* Itaq; tantum valet propter materiam. Quare dici possunt hujusmodi syllogismi secundæ figuræ; sed modo destituuntur, cum conclusiones sint non negatæ, sed affirmatæ. Huc refer & istos syllogismos: Qui non perseverant ad finem, non erunt salvi. Electi erunt salvi. E. electi perseverant ad finem. Item: Qui non habent Spiritum Christi, non sunt ejus. Electi sunt ejus. E. habent Spiritum Christi. Hinc propositiones majores æquipollent affirmativis: Qui erunt salvi, ad finem perseverant: Qui sunt Christi, habent Spiritum ejus. Itaq; concludunt & hi syllogismi vi primæ figuræ: id quod è conclusione videre est, quæ affirmata est, licet major sit negata.

Cap.